Rhetoricæ Compendium,

Latino---Anglice.

OPERA

THOMÆ HORN,

A. M. *Scholæ Etonensis*

ARCHIDIDASCALI.

LONDINI,

Typis *Guil. Du-gardi.* Veneunt apud *Franc. Eglesfield* in *Cœmeterio Paulino.* 1657.

Rhetoricæ Compendium.

Primo rerum humanarum ortu creverunt Disciplinæ, & ad extremum terminum crescent, quippe crocodili non dissimiles, dum vivunt, ad majorem exsurgunt molem; & qui supremum Scientiæ autumant se attigisse limitem, haud ad infimum pervenere. Quid itaque humilia facundiæ perstringimus fundamenta? Quid, turrium coronidúmque non exspectamus decorem? Quid eorum invidemus affectui, qui etiam huic ædificio minimam suppeditant opellam? Alii præceptorum Rhetorices exornârunt copiam, hoc mihi in votis praxeos difficultatem amovere: Nec existimo me quicquam doctæ faustæque operæ aliorum additurum, nec sanè detracturum: hoc verò forsan assequar, Rhetoricam tironibus reddere magis perspicuam, dum methodo tradendi faciliori, in infimos captus influam.

Ea est sermonis sors, quæ vestium & ædificiorum, primò *necessitati* inservire, deïn *luxui* & *decori*.

Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis ulva torum;
Jupiter augustâ vix totus stabat in æde,
Inque Jovis dextrâ fictile fulmen erat.
Frondibus ornabant quæ nunc Capitolia gemmis,
Pascebâtque suas ipse senator oves.
Non pudor, in stipulâ placidam cepisse quietem,
Nec fœnum capiti supposuisse, fuit.
Jam nos Templa juvant (quamvis antiqua probemus)
Aurea, Majestas convenit ipsa Deo.

A rudi barbarei cæmento, in nitentia facundiæ marmora excreverunt humana Eloquia, quæ primò mentis conceptus explicârunt, postea ingenii nitorem expanderunt, *Intellectioni* primò consultum, deïn *Oblectationi*: Illi Grammatica famulata est; huic Rhetorica: quam ideo definimus, *Artem ornatè loquendi.*

Est

EST Rhetoricæ duplex *usus*: { *Prosaïcus*, *Poëticus*; quibus eadem inserviunt Instrumenta.

Ut hujus Artis ponamus fundamenta, (non enim exactum Systema elaboraturi sumus)

considerandum est { *Præcognita*, *Præcepta*.

Præcognita (vel anticipata institutio, præparans animum discentis ad faciliorem hujus disciplinæ intelligentiam)

sunt { GENERALIA, SPECIALIA.

I. *Præcognita* GENERALIA.

1. Rhetoricæ vires omnes etiam maximè barbaras linguas permeant; oportet itaque in nativo & proprio idiomate præcepta facundiæ tradi, praxínque fieri.

2. Ex præceptis Rhetoricæ cognitis, & ad usum redactis in Linguâ vernaculâ, in peregrinæ usu facilitas ingeneratur; ità Anglicanæ exercitationes ad Latinas reddunt paratiores.

3. Praxis Rhetoricæ, & inculcatio Regularum Oratoriarum debet esse frequens, si non continua, ídque tam in vernaculâ quàm in eruditâ linguâ.

4. Termini per Rhetoricam dispersi, scilicet voces è Logicæ penitæ gremio, & Græca Troporum & Figurarum nomenclaturæ in proliminio sunt enucleandi, ut progressui nec remora fiat, nec fructratio. Quis, nisi didicerit, quid sit *Genus* aut *Species*, intelligere valeat, quid sit *Synecdoche Generis*, aut *Speciei*? Porrò, si intelligant juvenes vim harum vocum προσωποποιία, ἀποστροφὴ, συγχώρησις, nativam, faciliùs definitionem & naturam earum callebit.

5. Natura Troporum & Figurarum facillimè ex exemplis elicitur, & quorum oculari inculcatione, & observatione evanescit difficultas.

6. Tropi & Figuræ inspiciendi sunt, tanquam inventionis subsidia, & claves, quæ arcanos thesauros, in Autoribus latentes, patefaciunt.

II. *Hæc de* Præcognitis Generalibus *ad* SPECIALIA *ducunt*, viz. *Explicationem Terminorum.*

1. *Caussa* est, principium unde res est; sic, *Deus mundi.*

2. *Caussatum* est, quod à caussâ dependet; sic, *Opus* ab *Artifice.*

3. *Efficiens* est caussa, à quâ res est, vel quæ efficit; ut, *faber, cultri.*

4. *Effectum* est, quod ab efficiente pendet; ut, *mundus* à *Deo.*

5. *Finis* est id, quod ab aliquo intenditur; vel quod movet ad agendum; ut, *ditescere* ab *avaro.*

6. *Finitum* vel *medium* est, quod ad finem assequendum adhibetur; sic, *industria, ut docti evadamus.*

7. *Materia*

7. *Materia* eſt (cauſſa) ex quâ res eſt; ſic *Aurum* ex quo *Annulus*.

8. *Materiatum* eſt id, quod ex materiâ conſtat; ut, *Gladius* ex *Chalybe*.

9. *Forma* eſt cauſſa per quam res eſt, & operationes ſibi congruas exercet; ſic, *Anima* per quam *homo eſt homo*.

10. *Formatum* eſt, quod à formâ perficitur; ut, *Homo* per *Animam*.

11. *Subjectum* eſt, ad quod aliquid pertinet; ſic, *Virtus* ad *Animam*.

12. *Adjunctum* eſt, quod ad aliquid pertinet; ut, *infamia* ad *ſcelera*.

13. *Genus* eſt denominatio amplior rebus ſpecialioribus attributa; ut,

Subſtantia { *Angelis.* *Hominibus.* *Metallis.*

14. *Species* eſt denominatio ſtrictior rebus ſingularibus attributa; ut,

Homo { *Petro.* *Paulo.* *Joanni.* } Dicuntur etiam individua.

15. *Totum* eſt, quod habet partes; ut, *Corpus humanum*: *Partes*, ſunt ex quibus conſtat, vel ex quibus componitur; ut, *Caput*, *Truncus*, *Manus*, *Pedes*, ex quibus Corpus.

16. *Contraria* ſunt qualitates inter ſe-ipſas inimicæ, vel quæ mutuò deſtruunt; ut, *Calor*, *Frigus*.

17. *Similia* ſunt, quæ in aliquo tertio conveniunt; ut, *Homo* & *Bulla* in fragilitate.

Nè miretur quiſquam, ſi cum balbutientibus balbutiverim;

tiverim; hoc enim à me exegit perficiendi studium, quod pluris tironum informatori esse debet, quàm vocum technicarum cura.

Præcepta sequuntur, quæ tractant de Instrumentis Rhetoricæ *inservientibus, sintque subsidia, quibus*

promovetur { Elocutio, Actio.

Instrumenta quæ promovent *Elocutionem* sunt,

1. Usus verborum elegantiæ causâ, *in mutatâ* significatione; ut, bellorum *procellæ*, *magnes* amoris, littus *arare*; & vocatur TROPUS.

2. In *nativâ* significatione; ut,

Phosphore redde diem, cur gaudia nostra moraris?
Cæsare venturo, *Phosphore redde diem.*

Latet omnis hora, ut exspectetur *omnis hora*; dicitúrque FIGURA, σχῆμα.

De TROPIS agendum; quorum considerandum est { *Species*, *Affectiones.*

Species Troporum quatuor:

1. Unum *consentaneum* argumentum pro altero ponitur; ut, *effi ient* pro *effecto*, *subjectum* pro *adjuncto*; dicitúrque METONYMIA.

2. Unum

2. Unum *contrarium* pro altero ponitur; ut, *Ob ſanctæ Gentes!* pro *impiæ*: dicitúrque IRONIA.

3. Unum *ſimile* pro altero ſimili ponitur: ut, *Syrtes* patrimoniorum: dicitúrque METAPHORA.

4. Voces *magis comprehenſivæ* ponuntur pro vocibus *minùs comprehenſivis*, vel vice versâ: dicitúrque SYNECDOCHE.

I. De METONYMIIS agemus:

1. *Efficiens* pro *effecto* ponitur: ut, vario *Marte* pugnatur, i.e. *bello*; Dona laboratæ *Cereris*, pro *frumento*; Doctus cantare *Catullum*, i.e. *opera ejus*; *iram* Jehovæ portabo, i.e. *pœnam*: & dicitur METONYMIA EFFICIENTIS.

2. *Effectum* pro *efficiente* ponitur: ut, Scipiadas *cladem* Libyæ, i.e. *qui intulerunt cladem*;

Pindarii fontis quis non expalluit *hauſtus?*

i.e. *extimuit*; Sedeo inter *ſuſpiria* & *lacrymas*, i.e. *Virgilium ſuſpirabundum*, & *Horatium lippientem*, dixit Auguſtus: & dicitur METONYMIA EFFECTI.

3. *Finis* ponitur pro *mediis* ad finem tendentibus; ut, *ſubeat virtus veſtra* experimenta *majora*, i.e. *pericula*; ——*aris imponit* honorem, i.e. *Sacrificium*.

Dicitur & plauſtris vexiſſe poëmata *Theſpis*, i.e. *ſcenas*, in quibus poëmata fiebant: dicitúrque METONYMIA FINIS.

4. *Materia* pro *materiato* ponitur; ut, *Ferro* facibúſque invaſit Italiam; *gemmis* bibunt, & loto ſetinum ardebit *in auro*: dicitúrq; METONYMIA MATERIÆ.

5. *Forma* pro *formato* ponitur; ut, *Luxuries* in flagitiis, *crudelitas* in ſuppliciis, *avaritia* in rapinis, *ſuperbia*

perbia in contumeliis; pro *luxurioso, crudeli, avaro, superbo*;

Ars *mendicando quærit honesta cibum*, i.e. *Artifices honesti.* ——Animásque sepulcro
Condidit, —— * pro *hominibus*: dicitúrque METONYMIA FORMÆ.

* Quædam ex his pertinent ad *Synecdochen Partis.*

6. *Subjectum* pro *adjuncto* ponitur, vel *continens* pro *contento*: ut, *meditatur forum*, i.e. *res forenses*; *animosum pectus*, i.e. *cor*;

Cumq; superba foret Babylon *spoliauda trophæis*, i.e. *superbi Babylonii*: dicitúrq; METONYMIA SUBJECTI.

7. a *Adjunctum* ponitur pro *subjecto*, vel b *contentum* pro *continente*, vel c *signum* pro *signato*; ut, a Demonstres, ubi sint *tuæ tenebræ*, i.e. *obscura domus*; b *vina* coronant, i.e. *pocula*;

c *Non illum populi* fasces, *non* purpura *flexit*, i.e. *honores* & *dignitates*; huic consilio *palmam* damus, i.e. *victoriam*; Cedant arma *togæ*—i.e. *paci*: dicitúrque METONYMIA ADJUNCTI.

8. *Antecedens* pro *consequente*; ut,

—*strato* discumbitur *Ostro*, i.e. *cibum capiunt*: dicitúrque METONYMIA ANTECEDENTIS.

9. *Consequens* pro *antecedente* ponitur; ut, *Mappæ mensæq; apparatûs amoventur*, i.e. *cœnârunt*: dicitúrque METONYMIA CONSEQUENTIS.

10. *Ex pluribus connexis* vel *conjunctis*, *unum* pro *reliquis* ponitur; ut, *Juxta* Terentium *castra posuerat* Annibal, i.e. *hujus & illius exercitus*: dicitúrque METONYMIA CONNEXI.

II. De

II. De IRONIA.

EXprimimus mentem noſtram verbis menti contrariis; ut, *Sic vir ille* optimus (*Catilina*) *remp. traxit*, i.e. *peſſimus*; *En agros, & quam bello Trojane petiſti Heſperiam metire jacens.* Turnus ad Eumedem.

Oh ſanctæ *Gentes quibus hæc naſcuntur in hortis*
Numina! — nolo *pyra, nam ſunt* amara: ——

Vulpes Æſopica: dicitúrque IRONIA.

III. De METAPHORA.

VOx *ſimilis* ponitur pro *alterâ ſibi ſimili*: ut, *Facundiæ gemmulis oratio nitet*: — *æternum ſervans ſub pectore vulnus*, i.e. *Odium*: *Appion mundi cymbalum*: dicitúrque METAPHORA.

Latè quidem patet *Metaphora*, ejúſque formulas operæ pretium eſt ſubjicere:

Sumitur itaque

1. A *Sacris*: ut, *Philoſophorum* Deus, *Plato*.
2. A *Cœleſtibus*: ut, *Omnes adorant* Solem *orientem*.
3. Ab *Elementis*: ut, *Natura dedit nobis parvos* igniculos.
4. A *Meteoris*: ut, *Tempora ſi fuerint* nubila, *ſolus eris*.
5. A *Mineralibus*: ut, *Ferrea ætas*.
6. A *Vegetabilibus*: ut, *Flos nobilitatis*.
7. Ab *Animalibus*: ut, *Canis ille Rhetoricus*, Zoïlus.
8. Ab *Artificialibus*: ut, *Vivis* coloribus *virum* depinxi.

IV. SYNEC-

IV. SYNECDOCHE.

1. TOtum aliquando pro *parte* ponitur; ut, —*epotaq́;* flumina *Medo Prandenti*; —*dona gravia auro sectoq́;* elephanto; *Miseri* homines! *quàm citò in pulverem resolvimur?* dicitúrque SYNECDOCHE TOTIUS.

2. *Pars* pro *toto* ponitur; *ut*, *Nec* tergum *meum tuæ fidei committam*; *Oh curvæ in terris* animæ! i. e. *homines*.

3. *Vox generalior* pro *strictiore* ponitur; ut, *In exercitu militum* virtus *quàm maximè juvat*, pro *fortitudine*; sic *suasit Orator*, i.e. *Cicero*; sic *lusit Poëta*, i.e. *Virgilius*: dicitúrque SYNECDOCHE GENERIS.

4. *Vox specialior* pro *generaliore* ponitur; ut, *Hostes* tela *parant*——i.e. *arma*: *sic consuevere* patres *nostri facere*, i.e. *majores*. Ità etiam *individuum* vel *singulare* pro *re specialiore* sumitur: *Ecce Aristidem!* i.e. *justum*: *hujus ætatis* Tullius, i.e. *Orator*: dicitúrque SYNECDOCHE SPECIEI, & *individui*.

Hucusque de Tropis; *jam de* Affectionibus *eorum tractandum est.*

1. Tropum eximiè *augemus*, hæc *αὔξησις*; vel *minuimus*, hæc *μείωσις* dicitur: ut, *merita vestra cœlum contingunt*: Candidior *cygnis*: —*hederâ* formosior *albâ*.

Jam, jam tacturos Tartara *nigra putes.*
Sed quis ego sum, aut quæ in me facultas?
——*Nusquam tuta fides*: dicitúrque HYPERBOLE.

2. Negati-

2. Negatione contrarii plus significamus, quàm dicimus: *Rhodii Romanis haud* infesti, i.e. *amicissimi*:

Et gens illa quidem summis non tarda *pharetris*, i.e. *velocissima*: *me* non spernitis, i. e. *diligitis*: dicitúrque LITOTES.

3. Continuatur Tropus & eadem allusio, in eodem discursu: ut, *In reip: corpore omnia membra, manus, pedes, caput, in totius salutem conspirare debent. Quoniam ex vadis jam evasisse videor, & scopulos prætervecta videtur oratio, perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur.*

Jam minæ sævi cecidere belli,
Jam profanatis malè pulsa terris,
Et salus & pax niveis revisit
Oppida bigis, &c.

Mat. Casim. lib. 1. Od. 1, &c. dicitúrque ALLEGORIA.

4. Ab usu nativo vocum longiùs recedimus: ut, *hunc* comedendum, & *deridendum vobis* propino: *Eurus per Siculos* equitavit *undas*: dicitúrque CATACHRESIS. Hujus usus rarissimus esse debet, nisi emolliatur hujusmodi vocibus, *ferme*, *ferè*, *tanquam*, *prope*, *tantùm non*, sícque facundiam haud mediocrem sapit: ut, *Titius*, prope *dixi*, *enim sperat hunc dolorem*.

Nîl de cæteris troporum Affectionibus dicam.

quæ sunt:
1. Emphasis: ut, *irâ inflammatus*.
2. Aptitudo: ut, *si loquar* linguis Hominum & Angelorum.
3. Modestia, εὐφημισμὸς: ut, *Aqua pedum*, i.e. *urina*.

Nec

Nec de numero oratorio, & periodorum scitu, quæ potiùs Oratoriæ, quàm Rhetoricæ conveniunt, in aliâ porrò diatribe, fusiùs tractavi: satìs erit ergò hìc quasdam affectiones Troporum maximè necessarias carptim tractâsse.

Satìs de Tropis, *jam ad* Figuras *pergimus.*

Adhibentur voces elegantiæ & ornatûs caussâ in nativâ significatione. Hæc verò elegantia vel in alicujus unius vocabuli vario usu constat: dicitúrque FIGURA DICTIONIS.

Vel per unius aut plurium sententiarum structuram diffusa est: dicitúrque FIGURA SENTENTIÆ.

I. De *Figuris* DICTIONIS.

1. IDem sonus sæpius repetitur: Vos, vos, *inquam, & senatus frequens restitit:* da, da *per auras curribus patris vehi.* Non est illa, quam vos ignari putatis eloquentia: dicitúrque EPIZEUXIS, *Conjunctio.*

2. Idem sonus repetitur in fine præcedentis, & in initio subsequentis sententiæ: ut, *Constantiæ miraculum fuit* Regulus, Regulus *per indomitam virtutem in Pœnorum triumphavit sævitiam. Injuriam novo scelere conflatam putant se posse* defendere, defendere *autem non audent:* dicitúrque ANADIPLOSIS, *Reduplicatio.*

3. Repetitur idem sonus ut convertantur varia gradatim: ut, *Nam quæ spes relicta manet libertatis, si illis & quod* libet, licet, *& quod* possunt audent, *& quod* audent, vobis molestum non est? Longus *error,* longiu

gius *delictum*, longissimum *supplicium*; magna *adversis*, *audietis* majora, *imò* maxima *vobis proponuntur*. Pulcrum *est bene dicere*, pulcrius *bene sentire*, pulcerrimum *bene facere*: dicitúrque CLIMAX, *gradatio*.

4. Repetimus eundem sonum in principiis sententiarum: ut, *Quid est quod possis defendere? Quid est quod audeas postulare? Quid est quod putes tibi concedi posse? Non enim animi magnitudo, non fides, non constantia, & Pœnis excruciabatur, Roma parentem, Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit,*

Nascere parve puer non inficiande Parenti,
Nascere patris amor, Nascere matris amor:

dicitúrque ANAPHORA *collectio*.

5. Idem sonus repetitur in finibus sententiarum: ut, *Pœnos Romani armis vincunt, justitiâ vincunt, pietate vincunt: tu Rulle emes quod voles, vendes quod voles, utcunque facies quanti voles*: & dicitur EPISTROPHE, *conversio*.

6. Idem sonus & in initio & in fine earundem sententiarum repetitur, adeò ut *Anaphora* & *Epistrophe* coëant: ut, *Quis eos postulavit? Appius. Quis eos produxit? Appius. Quando est genus humanum diluvio interemptum? non ante nos. Quando urbes fluctibus cooperta? non ante nos. Quando pernicies venenatis anguibus data est? non ante nos. Qui sunt, qui foedera sæpe ruperunt? Carthaginienses. Qui sunt, qui crudele bellum in Italiâ gesserunt? Carthaginienses. Qui sunt, qui Italiam deformârunt? Carthaginienses. Qui sunt, qui postulant ignosci? Carthaginienses*: dicitúrque SYMPLOCE, *complicatio*.

7. Idem sonus repetitur & in initio & in fine ejusdem sententiæ: ut, *tenetur, aliquando, & in rebus tam magnis quàm manifestis tenetur*.

Qui bibit indè furit, *procul hinc discedite queis est*
Cura bonæ mentis, qui bibit indè furit.

Vidimus *tuam victoriam prælierum exitu terminatam*, *gladium vaginâ vacuum non* vidimus : dicitúrque EPANALEPSIS, *re-assumptio.*

8. Idem ſonus repetitur ordine inverſo & retrogrado : ut, Poëma *eſt loquens* pictura, pictura *autem eſt tacitum* poëma ; *Hermogenes inter pueros* ſenex, *inter* ſenes puer :

Hujus ego vivus, *mortuus hujus ero* :

dicitúrque EPANODOS, *regreſſio.*

9. Repetitur ſonus ferè ſimilis, cum luſu quodam mutatæ ſignificationis : ut, *Inceptio eſt* amentium, *non* amantium.

Nos Muſæ Mulæ, famáque *noſtra* fames.

Video me à te circumveniri, *non* conveniri : dicitúrque PARONOMASIA, *adnominatio.*

10. Repetuntur ejuſdem vocis varii caſus, modi, tempora, gradus, genera : ut, Varia variè *ſunt* variánda ; Cedere juſſit aquam, *juſſa* recedit aqua ; Labor labori laborem *adfert* ; *Ex* inſano inſanum inſaniorem *facies* : dicitúrque POLYPTOTON, *variè cadens.*

11. Eadem vox repetitur in variis ſignificationibus : ut, *Jucundum eſt* amari, *ſi curetur*, *nè quid inſit* amari ; Veniam, *ſi Senatus det* veniam :

Quis neget Æneæ magnâ de ſtirpe Neronem,
Suſtulit *hic matrem*, ſuſtulit *ille patrem* :

dicitúrque ANTANACLASIS.

12. Eadem vox adeò repetitur, ut primò perſonam vel rem, deinde perſonæ vel rei qualitatem denotet : ut, *Hic* conſul *eſt verè* conſul ;

Talis mater *erat*, *ſi modò* mater *erat* ;

Tot homines *adfuerunt*, *ſi modò* homines *fuerunt* : dicitúrque PLOCE.

13. Voce

13. Voces ex se invicem derivatæ conjunguntur: ut, *Is demum* miser, *cujus* miseriam *nobilitas locupletavit*; Ingenióque *faves* ingeniose *tuo*: dicitúrque PAREGMENON.

14. Voces vel sententiæ idem significantes coacervantur: ut, *Veterem consuetudinem fori, & pristinum morem judiciorum non vident*;

——superátne, & vescitur *aurâ*
Æthereâ, nec adhuc crudelibus occubat umbris:

dicitúrque SYNONOMASIA, vel *exergesia*.

15. Contraria epitheta opponimus: ut, *In* bonâ *segete, nonnulla spica* nequam, *neque in* malâ *non aliqua* bona; *Seq́* novo veterum *deceptum errore locorum*: *Lacedæmoniorum* veteres *injurias & novas fraudes cognovimus, sic Messenii*: dicitúque ANTITHESIS, *Oppositio*.

16. Idem tribuimus contrariis: ut, *Tam* deest *avaro quod* habet, *quàm quod* non habet: *æquè adest moderationi id, quo fruitur, ac quo non fruitur*: dicitúrque SYNOECEOSIS, *cohabitatio*.

17. Idem negatur de se-ipso: ut, Artémque *expromis* inertem; innumeri numeri; *avara* luxuries;

——injustáque justa *peregit*: dicitúrque OXUMORON, *Acutifatuum*.

18. In medio orationis circumstantiam aliquam interserimus, vel multæ voces interponuntur inter præcipuas clausularum partes: ut, Diuturni silentii, *P.C. quo eram his temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundiâ, finem hodiernus dies attulit*. Vid Horat. lib. 4. Od. 4. dicitúrque PAREMBOLE: vel referatur ad *Hyperbaton*.

19. Una vox fit ex pluribus, per signum unionis, quod Grammatici dicunt ὑφ' ἕν: ut, *Laudem* semperflorentis *Homeri*: Monti-feriens *fulmen*:

——*ntque enim ignari sumus* ante-malorum: & dicitur SYNTHESIS, *compositio.*

20. Voces inter se alternantur: ut, *Gladium nunquam vidimus vaginâ vacuum:*

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora—— dicitúrque

HYPALLAGE, *mutatio.*

21. Voces compositæ dividuntur: ut, *Dignum etiam præstabo me,* pro *laude* merentis: Matriq; cida *Nero: me certè in omnibus rebus* satis *nostræq; conjunctioni amoriq;* facturum: dicitúrque TMESIS, *sectio.*

22. Res eadem, cui epitheton convenit, variis & conjunctis vocibus exprimitur: ut, *in brevia & syrtes,* i.e. *breves syrtes*—*pateris libamus & auro,* i.e. *auratis pateris*: *in regione & umbrâ mortis,* i.e. *regione umbrosâ mortis*: & dicitur HENDIADYS, vel potiùs ἓν διὰ δυοῖν.

Hucusque de Figuris Dictionis.

Sequuntur Figuræ Sententiæ, quæ dicuntur etiam *Figuræ Pathetica.*

I. Exclamat Rhetores:
1. Viâ *Admirationis*: ut, *Ob profundas Sapientiæ divinæ thesauros! O terq; quaterq; beati!*
2. Viâ *Indignationis*: ut, *Ob libidinem effrænatam atque indomitam!* —*pro talibus ausis, Dii dignas persolvant grates!*—
3. Viâ *Optationis*: ut, *O mihi tam longè maneat pars ultima vitæ!*
4. Viâ *Derisionis*: ut, *O præclarum illum ovium custodem, quem dicunt lupum!*
5. Viâ *Commiserationis*: ut, *Heu quot delicias unus dies vobis abstulit!*

6. Viâ

6. Viâ *Exsultationis!* ut, *Ob populares! ecquis vivit hodie me felicior?*
7. Viâ *Obtestationis*: ut, *testor Deum & homines, meam conscientiam testor!*
8. Viâ *Comminationis*. ut, *Væ vobis, qui verbum Dei contemnatis!*
9. Viâ *Imprecationis*: ut, *Deus te perdat scelus, & in ultimas terras portentum deportandum!* dicitúrque ECPHONESIS, *Exclamatio.*

Eleganter omittitur *Interjectio*: ut, *impuræ mortalium fæces!*

II. *Acclamatio*, tanquam censura, tractato alicui argumento subjicitur: ut, *adeò à teneris assuescere multum est. Jam indicant tot hominum fletus, quàm sis charus tuis, adeò ut omnes videant, quàm miserè insaniunt, qui opes virtuti præferunt*: dicitúrque EPIPHONEMA: *Acclamatio* introducitur his vocabulis; *sic, ità, adeò ut, quippe, tantus, quantus, talis, qualis, ecce videamus ergò*, &c.

III. De rebus invidiæ obnoxiis confidenter loquimur, præsertim cùm metus impedire videatur: ut, *Vide, quàm non reformidem, quantâ possum voce contendam: tantùm abest ut tuæ sententiæ subscribam, ut in publico hoc conventu decedere non reformidem: Ecce, adeò non curo iram vestram*: dicitúrque LICENTIA: cujus emollitio talis eleganter occurrat, *Liceat mihi, vestrâ veniâ, liberè loqui, ut liberè dicam, quod liberè sentio.*

IV. Orationis cursus ad aliam rem vel personam vertitur: ut, *Vos agri, vos parietes obtestor, nónne pudebitis? O nimiùm dilecte Deo, cui militat æther! Te nunc appello*, P. Scipio: dicitúrque APOSTROPHE, *Aversio.*

Fiat vera:

1. *Ad Deum,*
2. *Ad Angelos* } *bonos,*
3. *Ad Angelos* } *malos,*
4. *Ad Adversarios,*
5. *Ad ipsum Oratorem,*
6. *Ad Auditores,*
7. *Ad Absentes,*
8. *Ad Mortuos,*
9. *Ad* { *Bestias, Aves, Fruges, Pisces,*
10. *Ad Inanimatas res:* { *Artificiales,* vel *Inartificiales.*

V. Abruptè, personam aliquam loquentem introducimus: ut, *Mortuorum parentum cineres considerate, qui sic vos alloqui videntur: Anne hæc pietatis nostræ memoria? Cœlum, herbæ, mare sic vos alloquitur, ingrati beneficiorum acceptores, &c.*

Viderat adducto flectentem cornua nervo.
Quidnam, tibi lascive puer cum fortibus armis?

dicitúrque PROSOPOPOEIA, *fictio personæ.*

Hujus formulæ variæ sunt, introducitur enim

1. *Persona de quo locuti sumus.*
2. *Deus.*
3. *Angeli* { *Boni* vel *Mali.*
4. *Viri* { *Præsentes* vel *Absentes.*
5. *Mortui.*
6. { *Cœlum, Elementa, Meteora.*
7. *Bestiæ.*
8. *Inanimata* { *Artificialia,* vel *Inartificialia.*

VI. Aliquid quod prius dictum erat revocatur Stultitiámne *dicam? imò* imprudentiam *potiùs:* Vix *Romæ, quid dixi,* vixisse *me?* Functi sumus *honoribus*

ab

ah! semel quidem functi sumus, *sed jam depressi jacemus*: dicitúrque EPANORTHOSIS, *correctio*: Hæcque fiat

1. Per Gradus Comparationis.
2. Per Comparationem majoris & minoris.
3. Per Addubitationem.
4. Per Pœnitentiæ signa.

VII. Deliberamus

Nobiscum: ut, *Fallor? Quò me vertam? Quid dicam? Quid faciam? Eloquar? An sileam? utriusque causas habeo sat graves. Quid respondebo liberis meis? Quid cognatis? me non potuisse fundum diutiùs colere, & ob id vendidisse*: dicitúrque APORIA, *Addubitatio.*

Cum *aliis*: ut, *cum præsentibus, absentibus, vivis, mortuis, judicibus, adversariis, testibus, cœlestibus, terrestribus*, e.g. *Quæro à te*, C. Aquili, *quid tibi hâc de re videatur. Nunquámne adeò vobis spectata virtus, ut suspicione violari nequeat.* Passim in orationibus Livianis.

Quid prosunt phaleræ? Quid galeæ juvat? Quid lætæ Zephyris comæ? dicitúque ANACOENOSIS, *Communicatio.*

VIII. Sententiæ inchoatæ cursus abrumpitur: ut, *Vanissimi Chaldæi, quid stellis cum religione? sed me reprimo.*

Quos ego? sed motos præstat componere fluctus. Nunquid, vos medici, quid characteres ficti? quid vocabula ignota? sed dicere dispudet: dicitúque APOSIOPESIS, *Reticentia.*

IX. Permittitur aliquid fieri: ut, *Neglige pietatem, contemne Deum, fiat sanè, sed cum tuo periculo fiat.*

I, fuge, sed poteris tutior esse domi.

Tibi ſi iſthoc placeat, profundat, perdat, pereat, nihil ad nos attinet: dicitúrque EPITROPE, *Permiſſio.*

X. Dictum aliquod conceditur, & retorquetur in adverſarium: ſicut, *Sit ſacrorum profanarumq; contaminator, ſit legibus infenſus; eſt tamen bonus imperator; ſint Chriſtiani pauperes, ſint mundo immundo expoſiti; ſunt tamen cœli hæredes. Tribuo Græcis literas, do multarum artium diſciplinam, non adimo ſermonis lepórem, ingeniorum acumen, dicendi copiam; denique etiam, ſi qui alia ſibi ſumunt, teſtimoniorum verò religionem, & fidem nunquam iſta natio coluit*: dicitúrque SYNCHORESIS, *Conceſſio.*

XI. Id, quod ab adverſario dicitur vel objicitur, anticipamus & diluimus; Súntque duæ ejus partes: προφορὰ, quâ objectio proponitur; vel ἀνθυποφορὰ, quæ objectioni reſpondeamus: *Dicet aliquis, hæc igitur eſt tua diſciplina, ſic tu inſtituis adoleſcentes, ego hunc meâ ſententiâ divinis quibuſdam bonis inſtructum atque ornatum puto.*

Anguis ut lentum mallem quoque forſitan eſſe,
Quàm tibi quæque tuli, dicere quæq; feram.
Non hoc objecit mihi Græcia, cùm mihi fictus
Detinuit Pario littore vela furor.

Dices quid poſtea? ſi Romæ aſſiduus fuit, reſpondebo, &c. dicitúrque PROLEPSIS, *Occupatio: nè adhibeatur hæc figura niſi cum ſummâ prudentiâ.*

XII. Multis rebus rem obumbramus: ut, *torrens copiæ dicendi*, i.e. *eloquentia*: *Africæ victor*, i.e. *Scipio*: *Venuſtus ille Poëta*, i.e. *Horatius*: *Nepos Atlantis*, i.e. *Mercurius*: dicitúrque PERIPHRASIS, *Circumlocutio.*

XIII. Res pluribus verbis ità exprimitur, ut quaſi ob oculos poni videatur: ut, *perſonabant omnia vocibus ebriorum, natabant pavimenta mero, madebant parietes*, &c.

Vid.

Vid. Ovid. in descriptione pestis, lib. Metam. 7. ver. 528. *procellæ*, lib. 11. ver. 500. *diluvii*, lib. 1. v. 260. *Regiæ solis*, lib. 2. ver. 1. *edium famæ*, lib. 12. ver 39. *famis*, lib. 8. v. 794. Virgil. in descriptione scuti Æneæ, lib. 8. Æneid. v. 620. dicitúrque DIAPTOSIS, *Explicatio.*

XIV. Ostendimus, quid res est, vel rei naturam delineamus: ut, *nolo te parcum appellare, cùm sis avarus; nam qui parcus est*, utitur eo, quod satis est, ut contrà *propter avaritiam*, quò plus habes, eò magis eges; *gloria est* illustris, ac pervulgata multorum ac magnorum vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama *meritorum.*

Est virtus, placitis abstinuisse bonis: dicitúrque ΌΡΙΣΜΟΣ, *Definitio.*

XV. Unum oppositorum conceditur, ut, alterum possit negari: ut, *virtus premi, opprimi non potest: vir bonus oppugnari potest pecuniâ, non expugnari*: dicitúque PARADIASTOLE. Aliquando confitemur quod non nocebit; *Miseros etsi inimicos fovi, fateor, habetis ergò confitentem, non reum*: dicitúrque PAROMOLOGIA.

XVI. Introducimus id quod est alienum,

vel

In idem propositum: túncque vel

1. Nominamus autorem: ut, *pulcrè* Fabius: *Mollis illa educatio, quam indulgentiam dicimus, nervos omnes mentis & corporis dissolvit*: dicitúrque CHREIA.
2. Non nominamus autorem: ut, *Fit ex malè agendo consuetudo, deinde natura*: dicitúrq; GNOME.

Non

vel { Non in idem propositum, ad quod ab autore adhibetur: ut, *Quod Orator de cæcitate, de ignorantiâ dico: vultus perpetuâ nocte coopertus, non concipit nefas, ad quod ducibus oculis pervenitur*; *tua* (quod Nero Senecæ) *in me merita, dum vita suppetit, æterna erunt.* De bonorum societate dicere licet, quod Ovidius de Jovis sui habitaculo, lib. 1. Metam.

Hic locus est, quem si verbis audacia detur
Haud timeam magni dixisse palatia cœli:

dicitúque ALLUSIO.

Ex quotidianâ in hoc theatro conversatione, multa facundiæ tirones policioris loquelæ sibi addant decora, præsertim si repetitioni conjungatur Autorum observatio, & suî exercitatio: vestram itaque materiam (ingenui Juvenes!) per omnem hanc instrumentorum Rhetoricorum seriem, tanquam filum acum sequens ducite, ex parvâ semente uberrimum cernatis fructum; hoc tantùm inculcare non pigebit, tum verè facundiam splendere, cùm magìs divinas exornat laudes, quàm vestras quærit.

De *Actione* non multùm attinet differere: hìc itaque concludam.

FINIS.

A Short Epitome of *Rhetorick*.

